

quid librorum imposterum à disceptantibus in auditorium ferretur. Quod profectò haud minus alicui rectè intuenti mirum videri potest, quām si militem protis & aris pugnaturum Imperator aliquis positis armis in hostem ire, & nudis rem manibus gerere jubeat.

§. 29. In sequenti hebdomade contra Lutherus Eccius de primario Pontificis Romani loco in Repub. Christiana, & summâ illius in omnes potestate disputavit, in quo eo sermone pro more suo impotentia animi elatus maledictis magis quām argumentis cum Luthero certavit. Nam & has reseos illum arguit, & Bohemorum infidelium patronum publicè est criminatus, cum tamen Lutherus nihil dixisset gravius, præterquam quod quidem Constantiensis Concilii decreta, ut minus recta improbasset. Disceptatum postea fuit de Christianorum poenitentia, de peccatorum expiatorio apud inferos. Extant certa disputationis hujus monumenta, quibus disceptantium mens & verba continentur, excepta, & in Codices relata à scribis duobus, quorum alteri Joanni Agricolæ Islebio à Lutero, alteri Joanni Poliandro ab Eccio munus